170

MEDICAL SOCIETY OF LONDON.

DISSERTATIO MEDICA

DE

ANOREXIA,

QUAM

DIVINO ADJUVANTE NUMINE,

SUB PRÆSIDIO

DN. ELIÆ RUDOLPHI CAMERARII,
Phil. & Med. Doct. ac P. P. Ord., Conſil.
& Archiatri Wirtemberg. Patroni ac Præceptoris omni obſervantiâ ætatem venerandi,

Publicæ Eruditorum Cenſuræ

Exponit

GEORG-HENRICUS BACHOVIUS,
GOTHA-THURINGUS.

Ad Diem 4. Januar.

IN AUDITORIO MEDICORUM

Horis matutinis conſuetis.

TUBINGÆ,

Typis JOACHIMI HEINII,

ANNO M. DC. LXXIX.

VIRO

GENEROSO atq; PERSTRENUO

DOMINO

LUDOVICO BERCHTOLDO.

Sereniſſimi Ducis Wirtembergiæ Conſiliario Graviſſimo, nec non utriusque Præfecturæ Beſigheimenſis & Güglingenſis Præfecto Superiori meritiſſimo.

Dno. Patrono ac Mecœnati ſuo perenni honoris & obſervantiæ cultu ſuſpiciendo.

V I R I S pariter

Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Conſultiſsimis, & Prudentiſsimis

D O M I N I S

CONSULIBUS, CÆTERISq; SENATORII

ORDINIS, qui in inclytâ Metropoli Gothâ floret,

SINGULIS MEMBRIS.

Dnis. Fautoribus atque Evergetis ſuis ſingulariter & æviternum colendis.

Specimen hoc Medicum

In gratitudinis ſymbolum, & ulteriorem ſui commendationem.

Debitâ ſubmiſſione dedicat ac conſecrat

AUTOR & RESPONDENS.

Q. D. F. V.

PROOEMIUM.

NOtabilem hanc cum Ratione tum Experientiâ ſuffultam quæſtionem : *Quî poterit Medicus in omni curatione rectum tenere, qui ventriculi vitiis occurrere neſcit?* Viri autoritate & eruditione Clariſſimi, *Chriſtoph. Schelhammerus Exercit. 1. de human. corp. humoribus*, & *Theod. Schenckius Exerc. de tribus human. corpor. coctionibus*, unanimi conſenſu verâ veriorem proclamant. Stomacho enim tanquam Patrefamiliâs, cujus robur, *Verulamio in hiſt. vit. & mort. operatione 5. ſuper viſcera ad extruſionem alimenti* aſſerente, ad reliquas concoctiones fundamentale eſt, malè diſpoſitô, deficiente, ipſiusque ratione neglectâ, nullô modô aliter fieri poteſt, quin & aliæ naturalis

Oeconomiæ Noſtræ partes laborent, deficiant, ac cura denique omnis, quæcunque etiam inſtituatur, fruſtretur. Animi igitur & corporis intendamus nervos, ut in cujusvis affectus curatione occupati, ventriculi ſimul reſpectu habito, læſis ipſius actionibus ſemper ſuccurramus. Cùm autem nulla prorſus Appetitu frequentius vitietur, & vix ullus reperiatur affectus p. n. quem ille vel Imminutus, vel penitus Proſtratus non comitetur, & probè apud ægros in illius dejectionem inquirendum eſſe, moneat *Ayrer. Inform. Medic. Pract. Regul. 11.* Hujus vitij, in quâ radicatur, Naturam paulò penitius impræſentiarum contemplaturi oleum & operam neutiquam perdemus. Faxit Divinum atque Cœleſte Numen, ut cœptum ex animi ſententiâ ſuccedat.

THESIS I.

VErùm à Philologorum curioſitate ut exordiamur, vocabulum Anorexiæ origine Græcum componunt, α. priv. & ὄρεξις, appetitum ſeu deſiderium in genere quidem rei cujuslibet, in ſpecie verò, *Plutarcho*

cho de fratr. char. annotante, ciborum atque alimentorum ſignificans. Apud *Hippoc.* 4. *aph.* 17. nominatur ἀποσιτία, aliis ἀσιτία & ἄλιμος, ſive rectius ſecundùm *Franc. Gliſſonium de ventriculi & inteſt. affect. part. poſt. cap.* 13. ἄπεινα aut ἀπείνη, & à *Paulo. l.* 3. *cap.* 37. ζιτίων ἀποςροφὴ, quum ἄλιμος potius cauſam famem pellentem indicet. Ἀνορεξίας generale nomen includit ἄσιτον inappetentem ſimpliciter, & ἀπόσιτον faſtidientem vel nauſeantem. *Latinis* ciborum inappetentia, faſtidium, averſio, abſtinentia à cibo, inedia, jejunium, in vernaculâ linguâ vocatur: **Unluſt/ Unwillen zum eſſen/ die verlorne Begierd oder Luſt zur Speiſe.** Hæc de Nominis enodatione ſufficiant; nunc ad Rei explicationem properamus.

II.

Ante autem quàm affectus noſtri p. n. ἀνάλυσιν methodicè aggrediamur, ad *Galeni* monitum *lib. de oſſibus*, quâ ratione appetitus ſ. n. producatur, ad indagandum compellimur. Explosâ verò dudum & à *Mœbio fund. med. phyſiol. cap.* 8. aliisque prolixè refutatâ de venarum ſuctione ceu proximâ (nam remotè lacteas chylum qſ. ſugentes huc concurrere quis negabit?) appetitus cauſâ opinione, nec admiſsâ *Eraſiſtrati & Favorini apud Gell. Noct. Attic. lib.* 16. *c.* 3. ſententiâ, accuſante ſola cava ventris ac ſtomachi hiantia, inanesque & patentes inteſtinorum fibras, cum *Neotericis* in ejus locum meritò ſubſtituimus liquorem fermentalem ſ. menſtruum acido-ſalinum, ſpirituoſum, volatile ſtomachi, quod acorem habet non ſolum, non ſtygium, acerbum, terreſtrem, craſſum, non ſolis illis, queis à Philoſophis plerisque, qualitatum limitibus includendum, ſed levem, blandum, tenuem, ſpirituoſum, volatilem, ad nitri nonnunquam genium accedentem, vitalem, imò non, ut alia acida, quæ ſolvendo alia ſe coagulant ipſa,

imò ſola fermentationem conſtringendo impediunt, agentem, ſed acorem humanum, idealem, ſtomacho proprium huic negotio dicatum ac aptum; hinc vitalem virtutem in acido conſiſtere quidem, à quovis tamen acido differre, & ab eo lac in ventriculo chylificari, imò in cane, induere canis naturam, dicit *Tachenius Hippocr. Chymic. cap.* 13. & nullâ arte, induſtriâ aut ingenio ſpiritum hunc fermentalem acidum & animam ab invicem ſeparari poſſe, *de morborum principe. c.* 6. *&* 7. Ingenitus eſt ſtomachis noſtris ſpirituoſus hic fermentans humor, ut loquitur *Excellent. Dn. D. Brotbequius b. m. Præceptor quondam meus colendus diſp. de Transmutatione corporum naturali.* §. 19. ſuppeditatur ab œſophagi & ventriculi glandulis, de quibus vid. *Willis pharmac. Ration. part.* 1. *ſ.* 2. *c.* 2. *Exc. Bohn Exerc. phyſiolog.* 3. §. 22. *Conſentinus Progymn. phyſic.* 5. *Clar. Caſp. Bartholin. Exerc. miſcellan. Exerc.* 4. *Celeberr. VVepfer. Ephemer. German. & Clar. Peyer. Anatom. ventricul. Gallinac. pag.* 119. quid ſpirituum animalium continet ſecundùm Medicorum quorundam Doctiſſimorum mentem, augetur à cibi reliquiis, temperatur ac creſcit diverſo reſpectu à ſalivâ. Valdè autem pro individuorum diverſitate variat, tàm pro primâ ejus fundatione variâ, quàm pro diversâ à cibis, medicamentis, venenis aut humoribus corporis his vel illis factâ mutatione, quas ob cauſas etiam in eodem individuo pro temporum diverſitate nonnunquam variè variat, diſſimilesque haud raro ſapores contrahit. *Infinita enim fermentorum genera in nobis & extra nos ſunt, quorum ſocietate oriri aliquando rariſſimum & παράδοξον temperamentum poteſt ſecundùm Celeberr. Pechlinum de aëris & alimenti defectu. cap.* 12. Liquor laudatus in ventriculo non repleto, fibrarum ac tunicarum tono debitè gaudente, quà cavitatem, ſpongioſi-

gioſitatem, ſenſum, rugas ſ. plicas ritè ſe habente muco vice epidermidis aut membranæ tecto, adjutus & agitatus à calore proportionato, debito, (qui in vivis corporibus limpidum, tenuem ſuâ præſentiâ, in cadaveribus viſcidum, mucoſum & tenacem abſens reddit) ſuas exerens vires ob alterius objecti defectum ventriculi fibras nerveas, potiſſimum ſiniſtrum ejus ſ. ſuperius orificium, imò in diuturnâ inediâ inteſtina etiam tenuia, chylificationi non minus dicata, rodit, mordet, vellicat, laceſſit, ſive ſingulari alio modo afficit, ſicque appetitum, quem ſenſus genus exquiſitiſſimum eſſe docet *Stupanus Medicin. Theoric. Patholog. part.* 3. *cap.* 2. *diſput.* 7. §. 148. procurat, quo ſucculentiam ciborum nutritiam deficientem ad corporis refocillationem (hinc alcalica & alia medicamenta, etiamſi illam ſenſationem tollant, non appetimus) deſideramus. Chylificationis idem fungitur officio in ventriculo, quem in Aulâ, quam inſtituit Microcoſmicâ, culinam regiam dicit *Vogel in Pharmacop. cap.* 9. hinc *Paracelſus tract.* 2. *de Ente veneni* Alchymiſtam ventriculi vocat, & hanc actionem noviſſe *Hippocratem* ex inſigni quodam ejus loco, *libr. de veter. Medic. ſ.* 20. patet, de quibus tamen alibi. Fermentalis humoris hujus exiſtentiam pariter ac eſſentiam, qui, ut credat, ſibi perſuadere nequit, illum alias, quæ in humano corpore accidunt, tranſmutationes cum *Ant. Gunth. Billichio Anat. ferm. platon.* altiori mentis trutinâ ponderare; aut, ſi *Tacheny in Hipp. Chymic. pag.* 88. conſilium abhorreat, ubi ſano lactis hauſtum jejunè bibere & removere præcipit, quò partim in linguâ, partim in rejectâ materiâ coagulo vitulino ſimilimâ, namque lac ut alias acidis ita etiam ventriculo, nullâ autem aliâ corporis parte *Excellentiſſimo Dn. D. Ioh. Arn. Friderici Exerc. de ventriculo* teſte facilimè

coagu-

coagulatur, aciditatis notam obſervare poſſit, ipſum ventriculum recens apertum accedere & ſuccum ibi latitantem per guſtus ſenſum examinare; aut acidos ſaltem ructus per evpepſiam interdum, per apepſiam verò nunquam ſubvenientes, quos hinc *Hipp.* 6: *aphor.* 1. in diuturnis lienteriis bonos judicavit, conſiderare; ſaporem à martialibus gulæ & linguæ nidoroſum communicatum conſulere, acida appetitum proſtratum erigentia, acidum infringentia, fermentum enervantia, & alcali mucoſo ventriculi liquori poſt mortem junctum efferveſcentiam excitans perpendere jubent *Authores.* Conſulantur *Hofmannus, Highmorus, Helmontius, Svvalve, VVilliſius, Bohnius, Ammannus,* & præprimis *Excellentiſſimus Dn. D. Metzgerus Præceptor ætatem venerandus. Hiſt. Anatom. Ventriculi.*

III.

Præmiſſis perluſtrandis ſubjicimus nunc hanc definitionem. *Anorexia eſt appetitus ciborum p. n. proſtratus, à moleſtæ ſenſationis in ventriculo percipiendæ defectu proveniens, ac varia mala inferens.*

IV.

Quoad *Genus* ſymptoma hoc *à Ioh. Anton van der Linden. Select. Med. pag.* 627. per ciborum quidem faſtidium, & *à Ioh. Hier. Pulverino Med. Pract. c.* 53. per oris ventriculi p. n. diſpoſitionem definitur, nos autem *Ioh. Ionſtoni* autoritate per appetitum deſcribimus, non naturalem, reliquis partibus communem, ſed animalem, cum moleſtiâ quâdam conjunctum, vid. *Goth Mœbij Inſtit. Med lib.* 1. *c.* 7. Appetitum diximus proſtratum, ad aliarum actionis hujus læſionum differentiam; aſt non fruſtra adjecimus p. n., hoc enim, ſatietate poſt aſſumtum cibum excluſâ, eam juxta *Felic. Plater. de funct. læſion. c.* 12. intelligimus inappetentiam, ubi convenienti

tem-

tempore vel omninò, vel maximâ ex parte nihil appetitur ciborum.

V.

Locum affectum in humano corpore conſtituit eadem pars, quæ ſubjectum appetitui in ſtatu ſ. n. ſuppeditat. Eſt autem illa in genere ventriculus totus, quà fundum & utraque orificia, quà fibras ſuas nerveas. Nec, ſi *Joh. Theod. Schenckio de tribus human. corp. coctionibus* credamus, inteſtina ſuperiora ſunt excludenda. In ſpecie verò os κατ' ἐξοχὴν ſtomachus, ſuperius non ſitu, ſed officio dicendum, aut per eſſentiam, aut per conſenſum afflictatum tanquam principale & primarium ſubjectum ab Autoribus fide digniſſimis approbatur.

VI.

Cauſam, unde malum hoc originem ſuam *proximè* trahit, quod attinet, cum *Galeno* Veterum pars maxima Medicorum abolitum ſuctionis ſenſum accuſarunt; hujus verò falſitate jam diu detectâ in ejus vicem Succeſſores humoris fermentalis vitium ſurrogârunt, quum autem ad appetitus animalis productionem nec naturalis fermenti diſpoſitio ſolum ſit ſufficiens, ſed, quod ex *Galeno* 1. *de ſympt. cauſ. c.* 7. pluribus liquet, ut ventriculus moleſtiam à fermenti actione ipſi illatam perſentiat, neceſſariò quoque requiratur, nos pace omnium in illius locum moleſtæ ſenſationis in ventriculo percipiendæ defectum ſubjecimus.

VII.

Quà cauſas *mediatas proximiores* defectus hic dependet à p. n. ventriculi aut ipſius fermenti diſpoſitione, ſiquidem nulla actio læditur, inquit *Caſp. Hofmannus Inſt. Med. l.* 4. *c.* 25. niſi læsâ parte illâ, quæ actionem edere nata eſt. Cùm enim ventriculus p. n. repletus eſt, juſto minus, ſive propriâ ſive partium foventium cul-

pâ, vel magis calet, quod cachectici & cauſo ferventes teſtantur, laxior, anguſtior, quod obſervavit *Gliſſonius l. c.* lubricus, expanſus, nam ad fermenti expreſſionem rugæ illius etiam faciunt, nimis mucoſus aut pinguis eſt, morbo organico quocunque alio corripitur, vulneratur, excoriatur, cujus rarum exemplum prolixè proponunt *Act. Hafnienſ. vol. 4. obſ.* 36. cicatrice ſ. membranâ obductus eſt, aut roſionem, vellicationem non ſentit ob ſpirituum vel defectum, vel diſſipationem, vel languorem, oppreſſionem, vel influxum denegatum, vel turbationem, vel ligationem. Aut cùm fermentalis liquor deficit, cùm imminuitur, cùm iners, ac ineptus huic negotio redditur, mutatâ ejus craſi & conſiſtentiâ, vel ob viſciditatem, fixationem, glutinoſitatem, pinguedinem, aquoſitatem, vel ob ſpirituoſitatem nimiam, acrimoniam ſ. ſalinam ſ. ſulphuream, bilem, aut aliam hujus genij corruptionem, acorem adulteratum. Imò in ara Microcoſmi Morbonæ acidum ventriculi ſylveſtre factum infinitas facit beſtias inquit *Clar. Hannemannus, Act. Hafn. vol. 2. obſ.* 105.

VIII.

Inter *remotiores* primo loco ponuntur Res Naturales, inter quas Aſtra; *prout enim genitura malè vel benè affecta fuerit, etiam malam vel bonam corporis craſin ſecuturam concludimus, inquit Carolus Bardili b. m. Profeſſor quondam Academiæ hujus meritiſſimus Fat. Mathematic. pag.* 22. In ſpecie Lunam in Leone à Marte affectam appetitum proſternere dicit *Poppius de Febr. Epidem. App.* §. 7. His ſuccedit tàm totius, quàm ventriculi, præſertim nativa, debilitas, qualem *Latin. Tancredus de fame & ſiti. l.* 1. *c.* 10. deſcribit; frigidum atque humidum temperamentum, cujus reſpectu ſequioris etiam ſexus individua præ potiori, anorexiâ ſæpius periclitantur; nec aliâ ex causâ

ſenes

ſenes *Divus noſter Senex.* 1. *aph.* 13. aliis præferre videtur; quibus ſedentariam vitam & otioſam alimentorum diſtributionem retardantem, cruditatis verò generationem adjuvantem viventes accedunt. Quantum ulterius auxilij ad appetitum proſternendum conferat *ἀντιπάθεια*, quâ ſtomachus diverſas eſculentorum ſpecies, *à Sylv. Rattray. l. de Symp. & antipath.* collectas averſatur, eorum exempla, quos natura incommodo hoc mactavit, ſatis ſuperque teſtari valent, cujus cauſam *Helmontius l. calor efficienter non digerit*, ex peculiari fermenti proprietate eruere impenſè allaboravit. Quibus addimus deſuetudinem, præſertim quà certos cibos cum *Corbejo Patholog. l.* 2. *ſect.* 4. *c.* 5. Sic nullum panis, quo tamen cibum nullum magis neceſſarium eſſe poſſe dicit *Pantinus Tiletanus commentar. in libr.* 2. *Celſ. c.* 18. eſum ex pravâ deſuetudine ortum deſcribunt *Ephem. Germ. Ann.* 6. & 7. *obſ.* 158. & caſei. *obſ.* 199.

IX.

Ex Nonnaturalibus hîc maximè ſe prodit immodicum aëris frigus & humiditas nimia, corporis vires, ut *Iac. Primer. Ench. med. practico de anorexiâ* contendit, craſſorum humorum copiâ obruendo, ſanguinisque ſpiritaſcentiam impediendo debilitans; nec non exceſſiva ipſius caliditas, æſtivo præprimis tempore ob volatilium ſalinarum & ſulphurearum particularum abundantiam ſtomachali fermento minus conveniens & ventriculi tonum actionibus ſummè neceſſarium ſpiritibus diſſipatis diſſolvens. *Franc. Gliſſon de ventr. & inteſt. p.* 237. Nimia atque intempeſtiva eſculentorum & potulentorum ingurgitatio appetitum ſopire ſolet, quatenus ob quantitatem ingeſtam cruditati anſam præbet, chylificationi vitium, quod nullibi, juxta illud Medicorum, corrigitur, imprimit, morbumque Artis Noſtræ Parentis documentô

facit. 2. *aphor*. 17. Nec tenuem *Aretæus* excuſat victum, quia hôc ventriculus fœditate ex viciniâ facilimè impleri poteſt; cui & *Bernh. Svvalve in querel. & opp. ventr. p.* 37. ſubſcribit. Fermenti aciem obtundunt cibaria & pharmaca variâ qualitate agẽtia impendiò magis frigida, pinguia, oleoſa, quæ accuſat *Camillus Thomajus Ravennas Meth. rational. cap.* 34. Acidum ſpiritum infringentia, juxta *Sylv. in Prax.* ac obtundentia, quibus addit *Sennertus l.* 3. *p.* 1. *ſ.* 1. *c.* 1. *prax.* craſſa, viſcida & venena. *Excellentiſſimus Dn. D. VVedelius Theor. Med. p.* 2. *ſ.* 3. ſpirituoſa, ſulphurea, & lixivioſa; ſalia volatilia indiſcriminatim & continuò uſurpata *Idem, Experim. Chym. nov. de ſale volatili plant. c.*10. Exc. *Paul. Ammannus Paranes. l.* 2. *p.*2. *c.* 5. dulcia, ſale abundantia, narcotica, veluti de nicotianæ fumo & ex *Matthiolo* de ſolano furioſo conſtat. *Franc. Gliſſonius l. c.* ſubjungit omnia interiorem tunicam nimis lubricantia & lenientia, qualia ſunt manna, caſſia &c. Fortiora purgantia naturali mucô abſtersô idem incommodum relinquunt, Alcalica tàm fixa, quàm volatilia concentrando, præcipitando, abſorbendo, invertendo, dulcificando, dulcia tamen nonnunquam in ſtomacho aceſcentia acorem fermento inducunt, teſte *Helvetio mort. morbor. c.* 2. Medicamenta ex tartaro quibuſdam in caſibus huc etiam referenda. Saturnina ſæpè dejectos ventriculos magis pervertunt. Aqua copioſè pota nimis diluendo enervat acorem noſtrum ſpirituoſum, nonnunquã tamen, ubi acor copioſus nimius perverſus, infringendo, nonnunquam ſalia diſſolvendo, illum juvat, acuit. Vina feculenta, immatura, ſpiritus vini volatilibus, pinguibus, ſulphureis particulis ſuis, cereviſiæ ſ. materiâ ſ. coctione ſ. defecatione vitioſæ, aquæ impuræ, hanc etiam obtundunt aciem. Somnus qnidem malorum omnium medicina dicitur *Achilli Tatio de amoribus Clitophont. & Leucipp.* attamen immoderatus, ut & vigilia malum, ait *Hipp.* 2. *aph.* 3.

*aph.*3. confer de vigiliis. *Guern. Rolfinc. Conſil. Medic. l.* 2. *cap.* 3. Idem de motu & quiete dicendum, limites enim tranſcendentes ſpiritus vel exhauriunt, vel ſuffocant. Animi pathemata ſibi ipſis relicta ſuum etiam ἐπίβαλλον μέρος contribuere, ſpiritus variè agitando, turbando, figendo, aliòque avocando, nullus inficias ibit. Triſtitia diuturna penitus dejicit appetitum, ſubitus timor ac terror excedentes maximo appetitu menſam aggreſſos illo privant, ſpiritus qſ. figendo, ligando; ira nimia facit idem, acorem debitum invertendo, ſpiritus turbando. Huc etiam meditationes continuæ ac curæ ſollicitudinesque nimiæ referendæ ſunt. Poſt terrorem mox bibere quantum ſtomacho noceat, docet *Primeroſius. Art. Pharmac. p.* 37. Quid de excretis & retentis non legitimè ſe habentibus ſit judicandum, ex proximis theſibus dilucidius patebit.

X.

Præternaturales ſunt, quæ tàm ventriculo, quàm fermento ſupra accuſata inducunt vitia. Morbi ventriculi ſuis quique locis explicantur, ſpiritus ad ſenſum neceſſarij deficiunt in morbis variè periculoſis ob varias cauſas, diſſipantur in fluxibus ſymptomaticis, labore nimio, & ſimul languent in febribus malignis, non influunt ob nervorum vel reſolutionem vel obſtructionem, vel diſſectionem vel compreſſionem, turbantur in variis delirii ſpeciebus, figuntur à narcoticis.

XI.

Fermentum quantitatis ratione vitiatur, nec ſecundùm *Helmont. Pulverinum* & alios, ab humoris melancholici à liene influentis, nec, ex *P. Severini* opinione à bilioſæ materiæ, ſed ex ſalivæ ob varias cauſas defectu, ex glandularum ſupra indigitatarum culpâ, ex nimiâ excretione ſ. effuſione, quod à potatoribus ſtrenuis in vomitu, alvi fluxu, imò ſudore nimiis contingit.

XII.

Qualitatis ratione, nobile hoc menſtruum genio ſuo defraudatur à glandularum laudatarum tumore, duritie, inflammatione, laxitate aut alio morbo, à chylo, aut vitioſis humoribus ſ. naturalibus, lymphâ, ſalivâ, ſucco pancr. &c. degenerantibus, ſ. præternaturalibus & vaporibus, ſive in ventriculo genitis, ſive aliunde affluentibus, ibique reſtagnantibus, inter quos *Iohan. Heurnius de ventricul. morbis. cap.* 7. uliginoſos & putridos, *Guerner. Rolfincius. method. ſpec. lib.* 6. *conſult.* 1. bilioſos & corruptos, *Mœbius Inſtitut. Medic. l.* 2. *part.* 2. *cap.* 5. frigidos, *Sebizius Prax. cap.* 12. *ſ.* 1. *pag.* 4. viſcidos ac lentos, *Felix Platerus. de funct. læſion. cap. de appet. defectu.* crudos, inſipidos, aqueos atque pituitoſos, *Franc. Feyneus Med. pract. l.* 4. *c.* 9. dulcem pituitam, acetoſum phlegma, *Lonicerus de aff. corp. hum. cap.* 101. Imò ſolam hîc ſuccorum copiam *Portus Creſpajenſis Valeſius decad. Medic. l.* 3. *c.* 1. referunt. Tendunt huc inſuper calida & frigida intemperies; omnem namque immodicam intemperiem exolvere actionem *Galenus* 2. *aphor.* 20. autor eſt: Quomodo modò calor, modò frigus appetitum dejiciat aut excitet, vid. *Rorarij Vticenſis contradiction. Avicenn. pag.* 583. & in ſingulariter malignis quibuſdam morbis occultæ qualitates. Febres itidem, viſcerum inflammationes, læſam chylificationem, conſuetas evacuationes oppreſſas, nimias, varias corporis obſtructiones, coitum nimium annectunt *Sennertus & Primeroſius l. c.* Sic alvi profluvium *Sylvius in Praxi ſuâ*, alios inteſtinorum affectus *Clar. Ioh. Alb. Sebizius Exerc. de ventric.* Lumbricos ventriculi & inteſtinorum, *L. Tancredus. l.* 1. *c.* 10. Calculos in ventriculo, *Celeb. P. Ammannus in Paræn. ſuâ*, quorum plurimas variorum Hiſtorias collectas vid. *Clariſſ. Schneider. de Catarrh. l.* 3. *ſ.* 1. *c.* 7. *& Ephem. Germ. Ann.* 3. *obſ.* 86.

obſ. 86. Vertebrarum præcipuè undecimæ luxationes *Guilh. Fabricius centur.* 5. *obſ.* 5. ſtomachi p. n. tumorem *Goth. VVelſch. in rationali vulnerum lethalium judicio, c.* 10. læſionem & vulnus in gravidâ fœminâ *Horatius Augenius. l.* 4. *d. ſ. m. c.* 15. annotârunt. Lue illâ ſingulari correptis nulla ars ciborum deſiderium invehere potuit, teſte *Iordan. de Lue novâ Moraviæ.* Quid de hepatis, lienis, renum, uteri, cerebri, glandularum & reliquarum partium affectibus dicendum reſtaret? modò chartæ anguſtia id caperet.

XIII.

Singulæ illæ cauſæ. p. n. iners ac ineptum reddunt fermentum modis ſupra dictis. Hinc humores urinoſi, pituitoſi, glutinoſi, viſcidi, pingues, oleaginoſi, amari, aquoſi, acerbi, acres, acidi volatilitate exuti, auſteri, ſulphurei, bilioſi, inſipidi, ſalini varii hic accuſantur. Nam quam diverſi ex variis ſalium ac ſulphurum mixturis in corpore noſtro oriri poſſint humores ac ſoleant, in enervando fermento ſed alio & alio modo convenientes, cum Ratione varia probant Experimenta. Bigam ſaltem hanc, ob cauſam jam adductam, ex Excellentiſſimi Dn. Præſidis obſervatione repetitâ addo. In ventriculo ſi miſceantur nimis pinguia & dulcia, ſaccharata præſertim & mellita, accedente bile, acidiſſimum imo acerrimum oritur ſal. Bilem ad auſteritatem magis, quàm amaritiem accedentem, qui acidis præcipitare tentat nimium, cum efferveſcentiâ appetitum dejicit.

XIV.

Tanta proſtratum appetitum excipiunt mala, quæ totius ſanitati corporis negotium faceſſunt. Hôc modô ventriculi actio, ſcribit. *Ioh. Theod. Schenkius exerc. d. trib. human. corp. coction.* læditur, ipſe & cæteræ poſtmodum etiam partes pravis ſuccis adimplentur. Maciem induci

ab

ab appetitu dejecto obſervavit *Marc. Antonius Alaymus Conſult. d. ulcere Syriaco. p. 59.* quod confirmat *Celeb. Bartholinus de morb. biblicis miſcell. 7. neque ulli datum eſt, vivere ſine alimento*, verba ſunt *Philoſophi inpolit.* 1. 8.

XV.

Hinc evaneſcit illud, quod de prodigioſâ à cibo abſtinentiâ hinc inde divulgatum eſt, ubi quidam non per dies tantum aliquot, ſed & per plures menſes ac annos ab omni alimentorum genere prorſus abſtinuerunt, quorum exempla *Fortun. Licetus, Sennert. prax. l. 3. p. 1. ſ. 2. c. 11. P. Zacchias Quæſt. Med. Legal. l. 4. tit. 1. quæſt. 7. & Caſp. à Reyes. Camp. Elyſ. jucund. quæſt. qu. 58.* plurima conſignarunt, de quibus nobis *Cl. Hermanni Conringij in tract. de calido innato*, ſententia arridet, qui, excluſis hyperphyſicis & iis, ubi cereviſiâ, lacte ſeu alio generoſo potu, *(addimus nos* aquâ,) aut corroborante medicamento abſtinentes utuntur, eorum multa fabuloſa, multa ſimulata atque ſuſpectæ fidei judicat, cui etiam *Svvalve in quer. & opp. ventric. p. 79. & ſeq.* per exempla conſentit, quibus rigoroſum examen ſimulationum fucum deterſit. Inſigne pariter exemplum *Ephemerid. German. ann. 3. obſ. 35,* producunt. Verùm nonnullos quidem homines cum *Hipp. 1. d. principiis* ad 7. uſque diem, & cum *Plinio.* ad 11. diem inediam toleraſſe, licet nos quoque concedamus, id tamen abſque ullâ virium jacturâ fieri, idem eſt, de quô valdè dubitamus; & rariſſimum vel aeris nutrimento vel conſuetudini adſcribendum quid hoc in caſu contingere, ſi contingit, *Modernorum Quidam* ſtatuunt.

XVI.

Quoad *differentias* Anorexia ratione partis affectæ, ipſiusque actionis læſæ alia fit per eſſentiam læsô vel ventriculo vel fermento; alia per accidens & conſenſum, quatenus ab externo errore, ſive ab alterius cujuſdam

par-

partis vitio pendet, primariam à *Nonnemine* cerebro dicatam ventriculo vendico, non enim in illo nauſea dici poteſt. Ex cauſarum fonte tot fluunt differentiæ, quot cauſæ proferri poſſunt, quas ex ſuperioribus h.l. repetere & tædioſum & ſupervacaneum erit. Reſpectu invaſionis, alia lentè ſubrepit, quæ frequentior eſt, à viſcidis ac tenacibus magis humoribus, alia ſubitò adoritur, quæ rarior & levior eſt, à bilioſis tenuibus, ſulphureis magis humoribus oriunda. Symptomatum reſpectu, alia eſt ſine ciborum abominatione, quæ aliàs inappetentiæ ſeu *ex Gliſſonij de ventr. & inteſt. p.* 248. judicio ſimplicis & nudæ dejectionis nomine venit; alia cum illorum averſione ſ. faſtidio admixta. Nauſeam ſ. faſtidium, quod nonnunquam omnium, ſæpè plerorumque, aliquando certorum, cujus *Sennertus prax. l.* 3. *p.* 1. *ſect.* 2. *c.* 2. varia exempla recenſet, ciborum eſt, gradibus ab ἀσιτία differre ſimplici communis eſt ſententia; affici tamen in nauſeâ ventriculum ſub alio formali, quàm in ſimplici, credibile eſt, percipit enim hîc, averſatur, & expellit ingratum, odioſum, juvantibus etiam palato, naribus & inteſtinis. Vide etiam de hâc *Vecchi Obſ. Med. in Sacr. Script. obſ.* 152. Ratione magnitudinis, alia mitior, ubi appetitus juſto minor & tardior eſt, ut in δυσορεξία, alia vehementior, quæ, dum omninò nulla appetentia adeſt, κατ' ἐξοχὴν anorexiæ titulo inſignitur. A temporis duratione, alia eſt brevior & dierum tantùm, alia longior, quæ ſeptimanas & menſes ſuperat.

XVII.

Signa *qui negligit, viatorem imitatur in ignotâ regione ſtatuas Mercuriales negligentem*, inquit *Sporiſchius Epitom. Med. pract. c.* 3. Hoc autem ſymptoma per ſe in aprico conſtitutum etſi nulla requirat diagnoſtica, ipſius tamen cauſæ abſque illis minimè manifeſtantur. Sic vellicatio

quod non fiat ob fermenti defectum, patefaciunt exceſſiva evacuatio, intemperies calida diſſipans, oris ſiccitas, diuturna inedia, rerum ad coctionem ineptarum uſus & ſupra adducta. Ob mutatam fermenti qualitatem ventriculus ſi non lancinetur, & quidem chylo ac humoribus ob lactearum venarum obſtructionem redundantibus, alvus liquidiora & chyloſa excernit, vires proſternuntur, totum corpus emaciatur, cum autem ob inteſtinorum vitia, ut alvi conſtipationem, herniam inteſtinalem, aut Iliacam paſſionem ſubſiſtunt, quicquid intus reconditur ad ventriculum regurgitat & per vomitum tandem rejicitur. Calida in ſpecie intemperies & bilioſi humores cognoſcuntur ex calido tēperamento, juvenili ætate, ſiti validâ, paucâ ſalivâ, oris amaritudine, victus ratione, morſu in ventriculo, nidoroſis eructationibus, bilioſo vomitu & alvi excrementis, urinâ flavâ, & ſplendidâ, pulſu magno celeri & frequenti, morbis calidis; bilem evacuantibus & frigidis juvantibus medicamentis. Frigidæ intemperiei, ut & craſſorum, p. n. acidorum atque pituitoſorum humorum præſentiam monſtrant temperamentum frigidum, ſenectus, ſex nonnaturalium uſus illorum productionem promovens, ſalivę abundantia, ſitis imminuta, ructus acidi, pulſus tardus, parv⁹ rarus, & mollis, urina alba, pallida, nunc tenuis, nunc craſſa & turbida, crudæ ac pituitoſæ alvi dejectiones, morbi frigidi, frigidaq; medicamenta nocentia. Malignitatem maligni morbi, ſingulariter prava ſymptomata, & ſubitanea virium debilitas produnt. Quæ ſuperſunt, vel ſuâ ſponte ſenſus noſtros incurrunt, vel per propria ſua ſigna vel ex iis, quæ de cauſis diximus, facilè cognoſcuntur. Quod ſi ventriculus fermenti ſtimulum ob deficientes ſpiritus, aut organicæ partis læſionē non ſentiat, id ex longâ à ci-

bis

bis abſtinentiâ, viſcerum intemperiei, plethoræ, cacochymiæ & aliorum ſupra recenſitorum morborum ſignis innoteſcit.

XVIII.

Quod ſalutis & mortis prognoſin concernit, malum hoc grave eſt, quia corpus ſenſim ſenſimq́, enervat, gravius, ſi pueros, reconvaleſcentes & virium imbecillitate laborantes invadat, *Aëtius. l. 9. c. 20.* pronunciavit. In diuturno morbo *Hipp. 7. aph. 6. & 6. aph. 3.* in longis dyſenteriis cum febre malum prædixit. Nec periculo vacat, malignitas, ciborum faſtidium, aliaque graviora ſymptomata ſi conjungantur. Periculoſius etiam evadit, quod à ventriculi ſtupore & vulnere, ſpirituum penuriâ & vitio, mentis alienatione, ac aliis cerebri & nervorum affectibus exoritur. Minùs periculoſum eſt, quod contrario modo ſe habet & morbo circa principium, ubi vires adeò nondum exhauſtæ ſunt, ſupervenit. Tempus & modum eventus cauſæ cum ſymptomatibus determinare queunt, quo reſpectu inappetentia interdum diuturnior, interdum brevior emergit, interdum naturâ ſive medicamentis curata ſalutem portendit, interdum verò ad vitæ finem uſque perdurans morte finitur.

XIX.

Cognitis jam cauſis & ſignis *Curationem* aggredimur, quæ ſæpè hujus non ratione ſui, ſed ratione ægri & adſtantium, urgentis ſymptomatis omnibus poſthabitis urgetur, & in methodo medendi communiter tribus nititur *Indicationibus*, quarum prima eſt Curatoria ipſius affectus p. n. remotionem indicans; altera præſervatoria, quæ cauſas auferri, &, ne malum ulterius urgeat, præcaveri jubet; tertia Vitalis commodam vivendi rationem, quâ vires reſtaurentur & conſerventur, monſtrans. Præcavere, ne appetitus dejiciatur, balſamum ſuum vegetabilem vult *Kernerus de illo. p. 34.*

XX.

Huic autem noſtro ſymptomati ut Medicus ſemper ac mox medicamenta opponat, coacervata præſertim, neceſſe non eſt, ſed, ſicut in aliis morbis, ita & hîc cunctando prudens Medicus, aliquando ab initio, aliquando in mediâ curationis viâ, reſtituit rem. Dictis autē Indicationibus ut ſatis faciamus, ex Chirurgiâ, Pharmaciâ & Diætâ tanquam uſitatis & ordinariis fontibus præſidiorum materiam nunc etiam depromimus. Inſignis autem ex *Chirurgicis* remediis efficaciæ eſt forti Plethorâ præſente, imò & fervore ſanguinis, *Venæſectio* ritè adminiſtrata. Hanc *Henr. Regius Pr. Med.* plethorico juveni anorexiâ decumbenti in dextro brachio, corpore prius per vomitum evacuatô, ſuaſit. Eandem *Laz. Riverius Prax. Med. l.* 4. *c.* 1. in nimia jecoris caliditate admittit. In corporis impuritate hæc ne repetatur, monet *Pons de nimis licent. ſanguinis miſſione, pag.* 84. Nec exiguam ſpem ponimus in *Scarificatione, Hirudinibus, Veſicatoriis & Fonticulis*, quum ſanguinem pariter & humores peccantes è corpore educant. Sic cucurbitulas & frictiones ad vapores in febribus aſſurgentes. *Pulverinus Med. Pract. cap.* 7. commendavit.

XXI.

Pharmaceutica remedia vel evacuant vel alterant. Illorum potiſſima ſunt *Purgantia*, eaque vel minori, ut Lenientia (quo etiam nomine, quæ lubricando, abſtergendo, irritando agunt, aliàs veniunt) vel majori doſi, vel per vomitum, vel per alvum, vel per ſuperius, vel per inferius guttur injecta. Talia ſunt pro variâ cauſæ peccantis & ſubjecti diſpoſitione varianda: Mercurialis, caricæ, braſſica, beta, malva, pruna, paſſulæ, poma, ſebeſten, ol. amygdal. dulc. lini, crem. tart. mucilag. hord. prun. laxativ. paſſul. laxativ. diacaſſ. cum mann. El. lenitiv.

tiv. d. tamarind. d. pſyll. caſſ. extr. Rhabarbar. Aloe depurata & variè correcta, Tamarind. Manna, Gialappa, Terebinth. Fol. Sen. Agaricus, Rad. Hell. nigr. præparat. ſpecif. Emet. M. Tart. Emet. Oxyſacch. Emet. *Ludov.* Vin. emet. Gallorum, cujus exemplar vid. *Cod. Med. Pariſ.* *p.* 40. Extr. cathol. diagryd. ☿. dulc. Gummi Gutta laxativ. Indic. quod laudat *Lotichius d. illo.* §. 30. Aſarum in pulvere cum vino decoctum per alvum purgare, cum aqua urinam pellere, *Angli* per experientiam teſtantur. Radicem floris mexicani in noſtris educati hortis non ſemel feliciter in hortulano ex proprio conſilio aſſumptam appetitum evacuatis variis humoribus reſtituiſſe, obſervavit *Ampliſſimus Dn. Præſes.* Vinum unguibus humanis per infuſionem imbutum militibus aut aliis, qui melioribus deſtituuntur, relinquimus.

XXII.

Circa *horum* autem *uſum* cautâ prudentiâ obſervanda ſequentia. Sola nonnunquam inedia ſ. abſtinentia, noſtro docente *Hippocrate*, ſufficit: Lenientia, ubi in ventriculo & viciniâ facilè obedientes copioſi fluctuant humores aut aſſumpta: Hæc in majori doſi ſ. purgantia, ubi etiam in aliis partibus & non tàm facilè obedientia ſtabulantur, viamque ad inferiora affectant: Vomitoria, ubi mobilis materia in ventriculo ac vicinia hæret, & ad ſuperiora tendit, locum habent, præſertim ſi lenientium vim eludat, nam maximam in vomitoriis exhibendis prudentiam requirimus, ac ſeriò mediocritatem cautiſſimam inculcamus: pituitam, bilem aut alium certum humorem ſolum non educent purgantia certa, magno tamen diſcrimine pro ſupra dictâ diverſitate adhibenda ſunt: Tamarindi cum Fol. Senæ debitè exhibiti, ut & ſpecies Gialapp. M. multam merentur laudem: Sal polychreſtum *Glaſeri* hîc etiam ad ℥ß. vel ʒvj. cum aq. quâ-

dam pitiſſando aſſumi poteſt, imò ſalia ex cineribus omnium animalium ac plantarum ſine diſcrimine ad ʒij. vel iij. pondus exhibita corpus expurgare, non ſecus ac alia lenientia obſervavit *Fr. Redi in obſ. de viperis. pag.* 77. & Quendam febricitantium corpora ſale communi dicto modo exhibitô feliciter evacuaſſe teſtatur *Vogel. l. c. p.* 44. Aloëticorum nimius in multis eſt abuſus, caveant ſibi ab eo bilioſi, & acrimoniâ humorum infeſtati: Variæ pro lubitu ex adductis poterunt parari formulæ: Clyſmata, ubi ventriculi affectus alia reſpuunt, aut in craſſis inteſtinis quid removendum hæret, conveniunt & ſuppoſitoria, ex humectantibus, laxantibus ac irritantibus parata. Cæterùm *Hipp. aph.* 51. *l.* 2. ſemper benè obſervandus eſt, imprimis apud eos, qui debilem calorem fovent, in his tutius eſt, per ἐπίκρασιν ac ſenſim propinatione mitioris purgantis ſæpiùs repetiti, quàm fortioris cum virium detrimento ſemel totum evacuare; ex hoc fundamento à *Sennerto l.* 3. *p.* 1. *ſ.* 1. *c.* 1. *prax.* Scammonium & colocynthis, à *Clar. Brun. Remor. purg. Exerc.* 5. §. 13. omnia δραστικώτερα purgantia proſcribuntur. Conveniunt quandoque hîc Clyſmata ſuperioribus fortiora. Vomitorium *Henr. Regius.* in tali caſu uſurpavit: ℞. Conſerv. fol. aſari. ℥j. vini albi. ℥iß, contundantur & expreſſo liquori addatur aq. cinam. ℥ß. miſc. pro Vomitorio.

XXIII.

Materiæ educendæ lentor, viſciditas nonnunquam, nonnunquam acrimonia, ut purgantibus *præparantia*, vulgò dicta, præmittantur, jubet. Tartarea vulgò univerſalia audiunt, in ſpecie quæ noſtro in caſu conducant, mox ubi de alterantibus ſermo erit, patebit. Materia ſi tenaciter adhæreat, Platerus Oxymel ſimpl. liquoribus permiſcet. Per veſicam educere haud raro in hoc caſu peccantes humores cum ſalinis & ſulphureis parti-

particulis noſtræ mandant regulæ, tùm *Diuretica*, ut ſunt, Juniperina, fœniculum, volatiles ſuccini partes, lumbrici, ſal ononid. & alia, exhibenda. Diaphoreſin denegatam reſtituunt, & neceſſariam promovent *Diaphoretica* & ſudorifera: uſitatiora ſunt rad. angelic. herb. carduib. fumariæ, flor. centaur. min. ſambuci, ebuli, lign. ſasſafras, C. C. antimonium diaphor. ſal abſynth. Bezoart. mineral. omnia ferè alexipharmaca, ſalia volatilia, it. balnea aq. dulcis, fomenta, frictiones, motus corporis & alia.

XXIV.

Alterantia cauſas & partes naturæ limites transgreſſas debitæ, quantum poſſibile, reſtituunt viæ. Sterilem factum ventriculum fœcundandum eſſe monet *Forſterus de tartaro hypochondrior. p. 55.* Stomachica hîc à plerisque laudantur, verum non omnia in omnibus cauſis, nam *medicamentum etiam parti (juxta communem ſententiam) proprium, non omnibus ejusdem affectionibus congruit*, inquit, *Hollyngus Eboracenus Anglus Oecon. medic. nov. c. 6. p. 73.* Nec in ſolâ pituitæ ventriculi evacuatione & exiccatione per ligna curationem conſiſtere prolixè probat *Ferriolus de infelic. morb. ventricul. cur.* In ſpecie, quid cum ſingulis agendum cauſis, breviter ponemus. *Fermenti* vitium probè diſcernere, eique debita opponere medicamenta magnæ eſt in Arte noſtrâ prudentiæ, & felicem in praxi reddit Medicum, non ſolum in hujus ſed & multorum aliorum affectuum curatione, nam facit illud etiam ad medicamentorum actuationem. Liquor ergò fermentalis ſi *deficit* aut *imminuitur* reſtaurandus eſt per ea, quæ ſimilis cum illo genii ſunt, medicamenta acida, acria, etiam volatilia cum acido moderato mixta, ſic ſpiritus ſalis, aut terra tartari foliata ſalis C. C. volatilitatem aliquantum compeſcit & hoc in caſu prodeſt: (& in aliis

mor-

morbis, qui debitè hæc aliàs valdè inter ſe efferveſcentia miſcere ac in neutrum deducere ſtatum novit, multa præſtabit) per ſalivæ debitam ſuppeditationem, ſalivam datam anorexiæ certiſſimo præſidio eſſe poſſe dicit *Celeb. Maur. Hofmannus Senior, prudent. Med. diſp.* 11. *Coroll.* 3. & per cauſarum educentium ſublationem. Si *iners* redditur aut *obtunditur* à craſſis, viſcidis, lentis, pituitoſis aſſumptis aut humoribus, conducunt attenuantia, incidentia, ut ſunt: Acida, (non ad ſapores ſolùm in genere, ſed ad ſpecificum quemque eſſe reſpiciendum monet *Acutiſſimus Ettmüllerus Medicin. Hippocrat.* §. 12.) ſucc. rib. berber. ceraſ. acid. citr. granatorum, acetum, quod ſtomacho non adverſari docet *Guibertus de Murhinis p.* 45. præſertim ſi ex vegetabilibus per fermentationem paretur, acetoſa, acetoſella, crem. tartar. quem proprio fermento fermentatum commendant, pulv. hepat. rub. tart. chalybeat. ſpir. nitri, vitrioli, ſimpl. ♂tis, ♀, ſulphuris, ſalis, ſpir: & ſal aperitiv. *Penot.* clyſſus, conſerv. roſar. vitriolat. Tinctur. roſar. Gelat. C. C. Ebor. acid. & ſimil. In horum autem uſu providè agendum, ne ſola adhibeantur in craſſitie humorum, à ſolo acido coagulante, ortâ; probèque notandum, tutiora eſſe vegetabilia, cùm ſpiritus illi minerales acidi quid cauſtici & ventriculo adverſi habeant, parcius tamen inter illos ſulphuris ſpiritus. Acria, volatilia & fixa, aromatica & lixivioſa, ſal ſive ſpirit. urinæ volatilis, ſang. human. viperar. ſal armoniaci, imprimis cum volatili aromatico aut vegetabili mixtus, flores ejusdem, (ſed non cum abſorbente ſublimati) ſpiritus panis ſale volatili gaudens, ſpiritus ex tartaro per fermentationem elicitus, ſpirit. fuliginis, ſpirit. mari veri, camphora, (in cujus oleo proliciendo tantos, ut inſumamus labores, neceſſe non eſt, cùm ab aliis particulis in ea non obtundatur.) Eſſent. ſuccini, in quâ ſpiritus vini

cum

cum ejus particulis volatilibus unitus eſt, liq. C. C. ſuccinatus, ſal cochlear. naſturt. ſalia volatilia oleoſa hodie celebria, ſpir. lumbricor. compoſ. *Londinenſ.* ſinapi, rad. ari, raphan. ruſtic. cum fæculis, angelic. helen. mal. arant. & alia ſimilia plura. Salia volatilia ſ. ſicca ſ. liquida noſtris in regionibus longè parcius & majori cum providentiâ exhibenda ſunt, quam ubi zythopotæ degunt, nam non ſolùm vini aut cereviſiæ potus ordinarius, ſed & varius aliarum rerum nonnaturalium uſus tam horum, quàm & purgantium doſin ac uſum notabili diſcrimine variat, quod non ſemel tàm publicè quàm privatim monuit *Nobiliſſ. Dn. Præſes.* Ob *aquoſitatem nimiam* ſi ſuo non fungatur officio, poſt evacuantia per alvum, veſicam & ſubcutaneas glandulas, poſt cauſas generantes ſublatas, quædam modò dictorum prudenter exhibeantur. *Ab acido perverſo, degenerante* ſi vitiatur, exhibenda, quæ illud corrigunt ac quocunque modo ad naturalem ſtatum reducunt. Emendant ac obtundunt illud pinguia, oleoſa, mucilaginoſa, Emulſiones, ol. amygdal. dulc. juſcula pinguia, & Gelatin. ex carnibus variorum animalium, eademque ex C. C. Alcis, Eboris, Lac varium. (ſed cum cautela.) Diluunt aquea, invertunt, abſorbent, imbibunt, ſaturantur ab illo, præcipitantia communiter dicta, alcalia, dulcia, (effectu) terræ, lapides, oſſa, cornua philoſophicè (non tamen amplius tanto apparatu) & vulgariter calcinata, conchæ, metallorum calces, ſimplices & compoſitæ, cinab. nativ. antimon. &c. Figunt, concentrant, (*Nonnullis* priori modo agunt) ſalia lixivioſa fixa per incinerationem parata, abſynthii, arthemiſ. millefol. &c. ad ſaturanda vitriolica laudat *Excellentiſſ. Ludovici Pharmac. diſſert.* 1. *pag.* 488. Deſtruunt volatilia ante adducta, imprimis urinoſa, ubi tamen proſpicien-

 dum,

dum, nè acor ſaltem ob errorem externum ventriculum ſolum inficiat, volatiles verò, quod nonnunquam contingit, calidi ac tenues in reliquis partibus dominentur humores. (Acido coagulanti aliquando volatilia mitiori acido, ſed per cohobationem non ſolam mixtionem juncta, ſicque aliquantum edomata feliciter opponuntur.) *Sulphureis*, *bilioſis* humoribus ſi corrumpitur, ſi *volatile nimis*, *aut ſpirituoſum* evadit, juvant acida ante dicta, præſertim mitiora, quæ refrænant, fervorem præcipitant, diluentia, demulcentia, mucilaginoſa, temperantia, ut ſcorzoner. cichor. taraxac. rad. chin. cerefol. & ſimilia plura; figunt, cùm ad auſteritatem bilis accedit, opiata; cùm nimis pinguis eſt, præter dicta etiam aromatica, vinum abſynthit. ſal. tartar. ſpir. ſalis armoniaci viribus impragnatum, imprimis antè adducta præcipitantia & concentrantia, & poſt adducenda calori excedenti oppoſita. *Acrimoniâ ſalinâ* ſi excedit, obtundunt pinguia, mucilaginoſa, diluunt aquea, non tamen diu exhibenda, præcipitant & concentrant modò laudata, immutant nitroſa, ſaturnina, volatilia, dulcia, (ſed nè aceſcant proſpiciendo) ſopiunt ac temperant opiata, at in noſtro caſu cautè uſurpanda.

XXV.

Ventriculi calorem deficientem dum reſtaurare ſtudemus, ne fermenti vires enervemus, aut dum huic incumbimus, ne illum magis dejiciamus, ſedulâ opus eſt curâ. In uſum hîc ducenda calefacientia, aromatica, amara, carminativa, ſuavi, oleoſo ſulphure ditata, pimpinell. galang. zedor. calam. aromatic. coſt. abſynth. menth. ſem. 4. calida, nux moſch. condit. zinzib. macis, caryoph. piper, cort. citr. arantiar. flav. exter. cinamom. aq. cydon. compoſ. ſpir. ſal. armoniac. ut & vini cum aromat. oleoſus factus, aniſatus, &c. Elæoſac-

char.

char. ſpir. maſtichin. balſam. de Peru. Eſſentiam panis cum malvatic. deſtillat. laudat *Timæus l.* 3. *caſ.* 2. & ſimilia plura jam ſupra etiam adducta, nam multa dantur, quæ tàm ventriculi calori, quàm fermento proſpiciunt. *Excedentem* reducunt refrigerantia, quorum quædam diluunt, quædam demulcent, quædam ſulphureas & ſalinas volatiles particulas enervando ebullitionem & fervorem compeſcunt, quædam adſtringunt, acetoſa, portulac. roſ. viol. ſemina 4. frigid. maj. acac. mal. citr. cydon. arant. granat. melon. cucum. & ſimil. ſupra etiam adducta contra bilioſos humores. Contra *mucilaginem* in ventriculo appetitum dejicientem laudat Aſellos *Schröder. Pharmac. Med. Chym. l.* 5. *num.* 96. Calculum ſtomachi reſolvere ſal ex ſpiritu nitr. cum ol. tartar. & ſpir. vin. circulato poſt abſtract. ſpir. vin. in fundo remanens dicit *Primeroſ. Art. Pharmaceutic. pag.* 93. *Glandularum* dictarum *inflammationem* refrigerantia, emollientia, temperantia antè adducta, *tumorem*, *duritiem* attenuantia, incidentia, *laxitatem* adſtringentia tollunt. *Atoniæ* ventriculi adſtringentia opponenda, inter quæ etiam acida, hinc maſtichen appetitum aperire tradit *Avicenna l.* 2. *tr.* 2. *cap.* 461. cui accedit *Strobelberger. Maſticholog. p.* 105. *Nervorum ac ſpirituum vitia* cephalicis, nervinis vulgò dictis occurrendum, de quibus alibi. *Malignitati* reſiſtunt Alexipharmaca. *Oris ſiccitas* quibus remediis ſit alteranda, *Excell. Dn. D. Mezgerus Exerc. de ſiti p. n. auctâ.* §. 13. *& ſeq.* docuit. Ab *aliis affectibus* ſi oritur anorexia, illorum curatio ex ſuis petenda locis inſtituenda eſt.

XXVI.

Veluti autem frequenter *commiſcentur cauſæ*, ita & jungenda variâ vi agentia medicamenta; datur tamen non raro unum ſive ſimplex, ſive compoſitum, medica-

mentum, quod plures diverſis hactenus adductis intentionibus ſatisfacientes vires poſſidet. Talia ſunt: Elixir proprietatis *Paracelſ.* antiſcorbutic. *Mich.* Elixir. propriet. ſine acido (quod ſuâ, non tamen tantâ, quantam multi creduli tribuunt, laude dignum eſt.) Elix. vitrioli M., Mixtur. ſimplex, ſpir. ſalis à ſale ſuo corroſivo liberatus, pulv. ſtomach. *Birkmanni*, Tinctur. tartar., cui ſal tart. in ſpir. vin. non probè rectificato ſolutum ſubſtituunt *Nonnulli.* Ex abſorbentibus & lixivioſis fixis pro varietate ſymptomatum variè mixtis pulverem anticolicum tàm frequenter quàm feliciter præſcribit *Excell. Dn. Præſes*, non ſolùm contra dolores in paroxyſmo, ſed & contra anorexiam poſt illum in colicâ tàm ab acidis, ab acerrimis, quod vomitus demonſtrat, quàm à bilioſis, ſulphureis, amaris humoribus oriundâ, quibus non raro leviter acida addit. Sic ſalia volatilia nonnunquam acidis levioribus nonnunquam alcali fixo jungi ac ita infringi, immutari non reſpuunt. Theriacam contra maximam inappetentiam extollit *Maranta Venuſ. d. Ther. l.* 1. *c.* 35. Syrupo corallorum peculiari poſt vomitorium illam curavit *Faber Curation. var. Cur.* 64. Tunic. ventricul. gallin. & ardear. cum abſorbendi vi quin ſimul aliquid adhuc fermenti poſſideant, nullum eſt dubium. Præprimis primo loco laudari hîc merentur Acidulæ, quas Ars etiam accuratiſſima ad vivum non imitabitur, de his vid. *diſſertationes Exc. Dn. Præſidis.* Balnea in ſpecie Vallis Tranſcherii laudant *Zimalia Bergomenſis deſcript. illor. c.* 2. *Alban. c.* 4. *& Suardus. c.* 5. *Externè* juvant Empl. Stomach. Craton. d. Tacamachaca *Schröder.* certum magna laude extollit *Cl. Hannemann. Method. cognoſc. vegetab. p.* 137. *Hartmannus in pract. Chim.* magnifacit Epithema calidum ex vino Malvatico & aceto cum cruſta panis & pulvere caryoph. Eundem effectum lupi ſtomacho *Frid. Hofman.*

adſcri-

adſcribit *Method. medend.* ubi plura adhuc de hoc & aliis ventriculi affectibus reperies. Carpis impoſita medicamenta appetentiam excitaſſe teſtatur prolixus de iis *à Reyes Camp. Elyſ. quæſt.* 83. Medicamenta à nobis hactenus adducta non ſingula adhibenda, ſed ex iis ſeligenda ſuademus.

XXVII.

Ultimum exercitationis noſtræ locum occupat *Diæta*, quæ ut curationi & affectui curando reſpondeat, *Aër* adſit temperatus & purus. *Cibi potusque* menſura cujusvis ventriculi facultati ita ſit accommodata, ut inter animi & corporis occupationes perfectè concoqui queat, de quâ inveſtigandâ *Leonardus Leſſius in Hygiaſtico ſuo* certas edidit regulas. Præſentaneum nonnunquam remedium eſt inedia, temperantia, abſtinentia, quâ *Galenus* fœminam forti anorexiâ affectam feliciter curavit. Pueris apprimè & ſenibus crebrò & parum alimenti exhibere confert. Quomodo varii generis cibaria erga ventriculum ſe habeant, in *ventr. querel. & opp. Svvalve,* ac *Vopiſcus Fortu. Plempejus de valetud. tuendâ c.* 4. affabrè delinearunt. *Medici*, qui ſæpè cibum non ad regulas Artis, ſed ut mulierculis de virtute ſollicitis & robur ex alimento petentibus gratificentur, malè agunt, inquit *Schopfius de præſidiis Medicis l.* 7. *ſect.* 2. Cùm verò multa commanducatio injucunditatem quandam affert, & appetitum avertit, variandum cibum ſuadet *Pernumia d. curationis arte. l.* 7. *p.*520. In ſpecie, quæ alimenta conveniant, quæ noceant, ex ſupra dictis patet. Acida & ſalita pro impinguatione denegat, pro appetitu vel excitando & ſic peraccidens impinguandis corporibus concedit cum *Appollonio Herophili ſectatore Mercurialis d. morb. pueror. l.* 1. *p.* 102. Hauſtum matutinum *Verulamius* fugere præcipit. Vinum refrigerare acrimoniam bilis dicit

Crivellat. dell' uſo & modo di dare il vino nelle malattie acute. c. 2. Ad appetitum procreandum ſymbolum ſuum etiam afferunt *motus* & exercitium corporis decens; nam laudabili conſilio *Herodicus Selymbrianus* inſtituit Medicinam pædagogicam, ſive quæ victu ac exercitiis in rem accomodatis valetudinem corporum tàm conſervaret, quàm reſtitueret. *Somnus* pro ſubjecti diſpoſitionis diverſitate aliis brevior, aliis longior conducit; abſint autem ſomnus & *vigiliæ* nimiæ. *Animi Pathemata* vehementiora continuò ſunt temperanda. Appetitum à bile ac ſanguinis fervore dejectum triſtitia, terror, timor moderati, à melancholiâ acido auſterâ, ira moderata excitat. *Alvum* occluſam ſollicitat bilemque temperat pulv. ex ocul. 69. crem. tart. diagrydij & nitri momento paratus. *Excrementa* alia, quæ nullius uſus, egerenda; hæc ſi naturaliter non fiant, *Artis* opus eſt auxilio, ubi tamen omnes circumſtantiæ judicio exactè ponderari debent, & hoc modo nulli dubitamus, quin, auxiliante DEO, exoptatus ſequatur.

FINIS.